



Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Ivdiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

15. Ex quibus indicijs liceat iudici procedere ad torturam? an unicum etiam sufficiat ad expedienda tormenta? An sanguis è vulnere caesi erumpens praesente eo, qui suspectus est, sit legitima caedis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

dit, aut quando in futurum imminet, aut pendet contra innocentem.

15. DIFFICULTAS non est levis, ex quibus indiciis Judex ad ipsam torturā procedere possit. Est autem tortura inducta in subsidium probationis, ut Reus veritatem confitendo suppleat, quod ad plenam probationem requiritur teste *Covar: pract: q. 23.* ut proinde adhibenda non sit, nisi cùm veritas aliter erui non potest. *L. 10. L. edictum. 8. L. Divus Pius. 9 ff. de quæst.* peccant ergo, qui vel confessos in jure, vel legitimis probationibus convictos tormentant, nisi fortè perduellionis, aut gravioris criminis convicti, publicæ securitatis causa in consciens & mandatores interrogentur. Alias quid conferre tortura ulterius possit, non video. Vide *L. qui sententiam. 16. C. depæn: L. prius. 17. ff. de SC: Syllan: Clar: hic q. 64 n. 5. Covar: sup. q. 23. n. 5.* Cæterum adhibenda non est quæstio per tormenta, nisi quando agitur de pœna mortis, aut mutilationis, quia nondum convicto, maior pœna imponenda non est, quam illa, ad quam est condemnatus. SED an iis assentiri possumus simpliciter, qui

qui existimant unum etiam indicium sufficere ad expedienda tormenta? Non, cum videamus leges plurali numero requirere indicia & argumenta præcedentia L. 1. §. 1. L. unius 18. §. 1. & 2. L. ult. ff. de quæst: Et certè si testis unus surgat, non est ad indicium eius, Reus torquendus. L. Maritus 20. ff. eodem. Imò sunt, qui negant posse Reum premi, etiamsi testis omni exceptione major compareat. Syn. in L. ult. C. de quæst. Boer. Decisio: 163. n. 3. Vetat enim Constantinus unum audiri, etiamsi præclaræ Curiæ honore præfulgeat. L. Jusjurandi 9. §. 1. C. de testibus. Similiter sanguis è vulnere aut naribus cæsi erumpens præsente eo, qui suspectus est, non est legitima cædis probatio, nullâ enim certâ ratione nititur. Undè satiùs est nocentem dimittere, quàm innocentem condemnare. L. 5. ff. de pœn. tantundem, imò aliquanto minus tribuendum probationi sagarum per aquam frigidam. Bod. 4. de Magia Dæmon. nec magis ea crimen probare potest, quàm aqua fervens, vomeres igniti, ferrum candens, duellum, innocentiam. cap. 1. & ultim. de Purgat. Et licet

licet morituri maximè vera loqui credantur; sola tamen assertio moribundi se ab aliquo vulneratum, aut veneno petitum afferentis, non sufficit ad torquendum eum, qui insimulatur. arg. L. rationes 6. §. ejusdem C. de probat. sicuti nec contra cædis suspectum excusat, qui aliis argumentis convinci potest, quamvis operetur ut suspectus tam facile torqueri non debeat.

Aliud. reg. 3. præsumpt. 44 n. 2. & 3.

16. De fuga reorum non uno modo statuendum est. Si enim fugiat statim patrato criminis, præveniendo informaciones de se assumtas, fuga delinquentis facit indicium sufficiens contra eum, quia arguit conscientiam delicti commissi. Quod si quis fugiat tunc primò, dum advertit de se informationes capi, vel dum citatur, talis fuga non est sufficiens ad torturam, ut docet ex comm. Clarus hic n. 25. quia habet causam timendi, cum se citari videt, etiamsi innocens sit: idemq; est, si post fugam citatus iterum compareat, tollit à se omne suspicionem. Secùs est teste Clar. q. 21. n. 18. si fuga non habeat rationem indicii, sed criminis, puta, quando mi-